

**Dissertatio medica inauguralis de usu sulphatis quinae ... / eruditorum  
exameni subjicit Richardus Townsend.**

**Contributors**

Townsend, Richard.  
Woodforde, James  
Royal College of Surgeons of England

**Publication/Creation**

Edinburgi : Excudebat P. Neill, 1824.

**Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/qehdan26>

**Provider**

Royal College of Surgeons

**License and attribution**


This material has been provided by This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>







(3.)

DISSERTATIO MEDICA  
INAUGURALIS  
DE  
USU SULPHATIS QUINÆ;  
QUAM,  
ANNUENTE SUMMO NUMINE,  
EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI  
D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.  
ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;  
NECNON  
AMPLISSIMI *SENATUS ACADEMICI* CONSENSU, ET  
NOBILISSIMÆ *FACULTATIS MEDICÆ* DECRETO;  
**Pro Gradu Doctoris,**  
SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS  
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS:  
ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT  
RICARDUS TOWNSEND, A. B.  
Hibernus.

---

*This is the patent age of new inventions,  
For "curing" bodies and for saving souls,  
All propagated with the best intentions;  
\* \* \* \* \** BYRON.

---

IV. NON. AUGUSTI, HORA LOCOQUE SOLITIS.

EDINBURGI:  
EXCUDEBAT P. NEILL.  
MDCCCXXIV.

DISPUTATIO

PATRI SUO DILECTO

THOMAE TOWNSEND, ARMIGERO

VIRO

VIRTVTIS OMNIPOTENTIAE

FOR HUMANUM ORNANTE

PREDITO

HOC TENTAMEN ACADEMICUM

FIDELITATIS, ADMIRATIONIS, ET AMORIS

TESTIMONIUM

EXERCIQUE GUIDEM SED SINCERUM

B. D. D. G. G.

ELIUS

AUCTOR

MODICIV

PATRI SUO DILECTO,

THOMÆ TOWNSEND, ARMIGERO,

VIRO

VIRTUTE OMNIGENA

COR HUMANUM ORNANTE

PRÆDITO ;

HOC TENTAMEN ACADEMICUM,

PIETATIS, ADMIRATIONIS, ET AMORIS

TESTIMONIUM,

PEREXIGUE QUIDEM SED SINCERUM,

D. D. D.QUE

FILIUS

AUCTOR.



JOANNI SEALY TOWNSEND,

CAUSIDICO,

INGENIUM CULUS SUMMUM

VIRITUTE INGENIUM

FOR ANIME POTESTATE

LOCUM PRIMUM IN ARTE SUA ARDUA

MAXIMO CUM HONORE

ATTIGERUNT

MENTIS GRATE MONUMENTUM

TESTIMONIUM

BENEFICIA MULTA COLLATA

HOC OPUSCULUM

SACRUM VULT

PRATIS PILLIS

RICHARDUS TOWNSEND

PATRUO SUO,  
JOANNI SEALY TOWNSEND,

CAUSIDICO,  
INGENIUM CUJUS SUMMUM

AC

ANIMI DOTES

LOCUM PRIMUM IN ARTE SUA ARDUA,

MAXIMO CUM HONORE

ATTIGERUNT,

MENTIS GRATÆ MONUMENTUM,

OB

BENEFICIA MULTA COLLATA ;

HOC OPUSCULUM,

SACRUM VULT

FRATRIS FILIUS

RICARDUS TOWNSEND.



JOHANN SEBASTIAN BACH

AMICO

FRANCISCO BOOTH, M.D.

SOCIETATIS LINNAEAE SOCIO

DOCTRINA CULUS PROPRIO

MODERATA FORISSIMA

MODERATA FORISSIMA

MODERATA FORISSIMA

MODERATA FORISSIMA

MODERATA FORISSIMA

HAS PAGINAS

ARTISSIMA PIGNUS AMICITIAE

ARTISSIMA PIGNUS AMICITIAE

ARTISSIMA PIGNUS AMICITIAE

RICHARDUS TOWNSEND

RICHARDUS TOWNSEND

AUCTOR

AUCTOR

AUCTOR

RICHARDUS TOWNSEND

AMICO SUO,

FRANCISCO BOOTT, M. D.

SOCIETATIS LINNÆANÆ SOCIO,

DOCTRINA CUJUS PROFUNDA,

MODESTIA PURISSIMA,

SOLUMMODO ÆQUATUR ;

HAS PAGINAS,

ARTISSIMÆ PIGNUS AMICITIÆ,

INSCRIBIT

RICARDUS TOWNSEND,

AUCTOR.

DISSERTATIO MEDICA

IN AUGURALIS

FRANCISCO MOORE, M.D.

USU SULPHATIS QUINAE

MODUS PREPARANDI

INVESTIGATIONES DUE IN CONSTITUTIONEM CHE-  
MICAM VEGETABILIS SUPER LACTE SUO PRINCIPALI  
PIUM ALKALINUM IN HIS TERCIO OMBUS DUE AD ARA-  
LYSIS JAM SUBJECTA TUEUNT EXISTERE DEMONSTRAT-  
TUNT: INTER ALIA VEGETABILIS CUM INVESTI-

To/ James Woodford Esq<sup>r</sup>  
With best compliments & sincere regards  
from his Friend the Author.

July 31 - 1824  
of Adam Street



# DISSERTATIO MEDICA

## INAUGURALIS

DE

# USU SULPHATIS QUINÆ.

---

## MODUS PRÆPARANDI.

INVESTIGATIONES quæ in constitutionem chemicam vegetabilium nuper factæ sunt, principium alkalinum in his fere omnibus quæ ad analysin jam subjecta fuerunt, existere demonstrarunt: Inter alia vegetabilia, Cinchona investigationem accuratam nuper subiit, et ut, ex analysi a PELLETIER et CAVENTOUT facta, apparet, tres officinales species Cinchonæ, *cordifolia*, scilicet, *lancifolia*, et *oblongifolia*, principia illa

alkalina, quibus (hodierni nomina *Cinchonia* et *Quina* imposuerunt), in variis proportionibus continent.

Species prima, *Quinam*, in quantitate majore præbet, nam *Cinchonia* nulla detegi potest, nisi pondus magnum *Cinchonæ* usurpetur; et species secunda, *lancifolia* scilicet *Cinchoniam*, pariter ac *cordifolia Quinam*, præbet: *Cinchona oblongifolia*, ambo principia alkalina copiose edit, nam triplicem *Cinchoniam* præbet, quæ in specie pallida reperitur: et ferme pondus *Quinæ* duplex, quæ in eadem quantitate speciei flavæ existit.

Sed quoniam *Quina* in statu puro sese vix solvi permittit, necesse fuit, quo ægris melius conveniret, ut cum acido conjungatur. Huic proposito acidum sulphuricum optime inservit. Sulphas *Quinæ*, ex *Cinchona cordifolia*, hac formula obtineri possit:—Libra una *cinchonæ* in congio aquæ destillatæ, et uncia acidi sulphurici, per semihoram coquatur, et dein coletur; residuum simili modo cum pari quantitate aquæ acidulatæ coquatur; cola, et ambo decocta commisce: Aqua *Potassæ* deinde additur, donec liquor leviter alkali-



nus fiat. Color fuscus deinde apparet, et liquor sedimentum subrubrum et flocculentum deponit, quod per colaturam separari debet: Materies separata in aqua destillata nunc perluenda est, et dein siccanda; in alkahole rectificato (calore 113) per horas aliquot nunc digeratur: Liquorem effunde, et spiritum rursus adde quamdiu saporem amaram acquirit: tincturæ mistæ in arenario nunc stillandæ sunt, donec partes tres spiritus discesserint.

Substantia viscida et fusca pone manet, quam fluidum alkalinum lacteum et amarum obtegit. His separatis, liquorem alkalinum cum acido sulphurico ad saturationem commisce; ad dimidium postea evapora, pauxillum ligni carbonis adde, et post levem ebullitionem, solutio adhuc fervida filtretur. Sulphas Quinæ forma chrystallorum nunc apparebit.

Massula fusca in parva quantitate aquæ per acidum sulphuricum leviter tinctæ iterum coquenda est, et mistura frigifacta chrystalli sulphatem Quinæ adesse indicabunt. Chrystalli super chartam bibulam siccentur.



Hac formula, drachmæ biæ Sulphatis Quinæ ponderis *Troy*, ex libra una Cinchonæ *Avoirdupois*, obtineri possunt.

Medicamentum ita præparatum, saporem valde amaram possidet. In aqua frigida vix solvi potest, sed in calida, et præsertim acidulata, facile solvitur. Chrystalli albi, serici et flexibiles sunt, ac sine residuo ardent.

In hujusce salis præparatione, cinchona flava, rubræ anteponenda est, quia vix ullam cinchoniam præbet, quæ vi febrifuga minore præditur, ut usus probavit: Cinchona oblongifolia tamen, pondus majus Quinæ pro parte rata exhibet, et igitur a Pharmaceuticis sæpe usurpatur; sed ex hoc fonte paratus, Cinchoniam plerumque commistam habet, et idcirco Sulphas Quinæ foris importatus, spes medici haud raro fallit.

Sulphas Quinæ in æthere sulphurico solvitur; sed Cinchonia, solutionem nullam in hoc fluido subit: Quod pro teste adhibeatur, utrum purus existit, sive cum cinchonia commisceatur.



*De Usu Medico Sulphatis Quinæ.*

QUANDO merita cujusvis novi medicamenti investiganda sint, considerationes duæ attentionem nostram specialiter vindicant: *Imprimis*, “Utrum sit Remedium efficax;” *Secundo*, “Sive  
“Quantitas illa quæ ad curationem sufficit, sanitatê corporis salvâ, exhiberi queat.” Has observationes elucidare tentabo, his exemplis citatis, quæ de virtutibus Sulphatis Quinæ, vel aliis recensita legi, vel ipse experientiâ probavi.

Hi chemici celeberrimi PELLETTIER et CAVENTOUT (inducti per experimenta in principia vegetabilia recenter instituta) hanc theoriam per analogiam sibi conformarunt,—ut in Quina ipsa hæreret vis illa febres depellendi, quæ Cinchonæ cordifoliæ pertinet. Quo hanc opinionem ad experimentum ducerent, CHOMEL, Medicus Nosocomii Caritatis Parisiis, (his chemicis petentibus), hoc remedium nonnullis febricitantibus administravit. Testimonia quæ hic medicus coram Academia Regia produxit, adeo valida sunt, ut de his mihi breviter disserere liceat.



Ægri in quibus prima experimenta instituit, nullum aliud medicamentum nisi Sulphatem Quinæ sumpserunt. Septendecem febre intermittente laboraverunt, nec una forma mali illis omnibus contigit, sed febris quotidiana, tertiana, et quartana illos pariter vexaverunt. Ex his ægris, in septem, paroxysmi per primam dosin abierunt: in novem aliis, haustus primus violentiam et durationem paroxysmi subsequenter tantum immi-  
nuit; sed haustus secundus ex toto cohibuit. Exemplum unicum, medicinam ad vicem tertiam repetendam postulavit.

Ex altera narratione, ab eodem, de vi medicatrice Sulphatis Quinæ, nos certiores fimus, ægros decem, ex tredecim, qui febre intermittente confirmata laborarunt, per hoc remedium ex toto convaluisse. Exempla duo pertinacia levamen paroxysmorum tantummodo experta sunt, et in unico exemplo, nullos effectus hoc remedium edidit. Sed etiam videtur, Cinchonam ipsam in his binis exemplis pariter inefficacem fuisse; et non solummodo cinchonam, sed remedia fere omnia, quæ contra febres intermittentes valent, nihil boni, exemplo infausto attulisse.



Experimenta hujusce medicamenti nuper in Italia facta, vim ejus antifebrilem in luce adhuc clariore ostendunt. DE ROSSE medicus memorat, quod ægri sexaginta et tres sub forma omnigena febris intermittentis laborantes, Sulphate Quinæ omnes sanabantur; quinquaginta, prima dosi; septem, dosi secunda; quinque, duas leves rigores experti, dosi tertia omnino in sanitatem reddebantur, et exemplum unum in febrem continuam convertebatur. Ex his ægris, unus qui febre quartana per anni spatium laboraverat, post unum levem paroxysmi recursum, curatus evasit.

TONELLI, alter in Italia medicus, hoc remedium in exemplis sexaginta quinque porrexit: varietates typi solitæ his casibus aderant, et ægri omnes ad unum (qui ex delirio medicamentum sumere noluit) curati evaserunt. Dosis unica in exemplis quadraginta tribus, ad curationem sufficiebat.

Vere anni præteriti, quo tempore febris intermittens Eblanenses gravissime vexavit, ipse usum ejus successu optimo testatus sum. Ægri tredecim in Nosocomio Meathense hospitantes,



per hoc remedium, tuto, ac efficaciter, convaluerunt. Medicus Clinicus, qui operam suam in Nosocomio Equitis PATRICII DUNNE dederat, hoc medicamentum pari successu porrexerat.

Casum unum, vel alterum, modi quo hoc remedium præscriptum fuit, hac parte opusculi mei notabo, et ad alias postea referam, quum ad res quasdam ventum sit, quæ in loco alio esse considerata oportet.

*Martis*, die 29. GUL. BURNS, ætat. 38. operarius, in Valetudinarium Meathense receptus est. Die 12 ejusdem mensis, ut æger externus medicamenta petiverat, quæ febrem tertianam depellerent, sub qua laboraverat per sex hebdomadas, grana sex Sulphatis Quinæ assumsit, quæ vicibus duabus devorata, reditum paroxysmi, per sex dies cohibuerunt. Febris cum horrore levi, et nausea, nunc rediit; sed quum symptomata haud gravia essent, remedium nullum præscriptum fuit, donec morbus sese rite eolveret. Die sexto, septimo, et octavo mensis Aprilis, paroxysmi graviores fiebant; et meridie noni, rigor multo violentior erat quam æger adhuc



senserat, per spatium horæ dimidii durabat. Stadia caloris et sudoris ægrum pariter vexabant. Pulsus ad centum et viginti respondebat; et parvus et celer micabat; lingua incrustata; anorexia et nausea aderant; macies extrema corpus occupavit.

℞ Sulph. Quinæ gr. vj.

Aquæ Distillatæ ℥iij. M.

Hujus Misturæ agitatæ æger sumat ℥j ter in dies.

Die 10. Rigores hora eadem ac heri apparuerunt. Stadium sudoris brevius; pulsus centum et decem; nausea imminuta. Grana quatuor ante paroxysmum habuit.

Repetatur Sulph. Quinæ ut heri præscriptum.

Die 11. Rigor nullus; inclinatio ad sudorem hora prima P. M. supervenit; pulsus 96; appetitus auctus.

Repetantur Medicamenta ut supra.

Die 12. Nullus rigor, aut sudoris signum; vultus hilarior; lingua nitida; pulsus 94; alvus regulariter respondet.

Repetatur ut heri.

Die 13. Rigores absunt, et omnia in melius vertuntur.



Paroxysmis nunc omnino sublatis, Medicus Cinchonam ipsam porrigi jussit, propterea quod inopia Sulphatis Quinæ hoc tempore valebat, et emptoribus igitur magno pretio stetit.

Die Aprilis 23, curatus discessit.

## CASUS II.

Aprilis, die 27, GULIELMUS FALLON hospes ejusdem Nosocomii factus est: per tres menses febre intermittente laboraverat, et rigores ante meridiani, per hoc tempus, illum quotidie plectere sobelant; pulsus parvus et celer; sitis urgens; macies extrema et debilitas; membra inferiora œdemate occupata; color vultus flavus; hodie rigor hora solita rediit; et per horæ dimidium duravit. Sudor copiosus subsecutus est.

R̄ Sulph. Quinæ gr. vi.

Aquæ Distillatæ ℥iij. M. Fiat haustus, cujus æger sumat ℥j ter in die.

Die 28. Rigor hora eadem ac heri, attamen levior rediit. Cephalgia ægrum graviter plectit; pulsus ad centum respondent.

Repetatur solutio Sulphatis Quinæ ut heri.



Die 29. Rigor nullus nec sitis adest; sudor per horam affatim manabat; dolor capitis ut antea gravis est.

Continuatur medicamentum.

Die 30. Rigor adhuc evenire non vult; sudor manet parcius; pulsus 80; plenus ac regulariter micans; dolor capitis haud ita acutus.

Continuatur medicamentum.

Maii, die 1. Rigor et sudor absunt; functiones naturales sunt.

Sumat Pulveris Cinchonæ 3j quater in die.

Maii, die 10. Dimittibatur sanatus.

In hoc exemplo, grana quatuor tantum Sulphatis Quinæ, die 27 Aprilis, æger hauserat; paroxysmus autem diei proximi levior erat; et die 29, ex toto abiit. Grana x. medicamenti ante hoc tempus æger habuit.

### CASUS III.

JOANNES RICE, servus, ætatis 22, in Nosocomium Meathense die Aprilis vicesimo receptus



est: febris intermittens quotidiana illum per dies quatuordecem vexaverat; frigores violenti per horæ spatium durant; hora ante meridiem fere accedunt; sudores copiosi postea erumpunt; dolor capitis haud ita gravis illum plectit.

℞ Sulphatis Quinæ gr. vj.  
Aquæ Distillatæ ℥iij. M. Sumat ℥j. quater in die.

Rigor ut antea apparuit; dosis unica medicamenti tantum administrata fuit.

Die 23. Rigor et sudor hodie absunt; cibi appetitus acrior; arteriæ ad naturam pulsant.

Continuatur medicamentum.

Die 24. Neque rigor nec sudor hodie sese ostendunt.

Continuatur medicamentum.

Die 25. Signum nullum mali dignosci queat, et æger a molestia vacuus est.

Medicamentum ter in dies sumat.

Primo die Maii, hunc hominem medicus sanatum dimisit.

Haud necesse est, ut exempla singula enumerem, in quibus, hoc remedium feliciter adhibitum



vidi, memorare sufficiat, vere præterito, quando febris intermittens Eblaniæ valuit, nullus casus huic medicamento succumbere recusavit.

Quum his factis testimonia Medicorum et Galliæ et Italiæ addantur, nihil dubii (ut opinor) de virtutibus febrifugis hujus remedii existere potest. Quamquam appellatio Febrifugii huic remedio imponatur, vim in febris specificam possidere, haud mihi est in animo asserere; nam titulus Specifici medicamento nulli jure tribuitur, nisi formam omnigenam istius mali sanare queat, super quod actionem specificam exercere putatur. Hoc nomen Specifici sulphur solum mereri videtur; nam (ut credo) omni formæ scabiei sufficit. Hydrargyrus equidem et Cinchona hunc titulum demiserunt; nam plurima exempla sunt, ubi, in syphilitide, hydrargyri variæ præparationes, et in febre intermittente, cinchona, vim nullam sanativam ostendere possint.

Sulphas Quinæ (sicut mea est opinio) paroxysmos febris intermittens coercet, per vim tonicam, quam in ventriculum, et per ejus medium, in corpus totum exercet; sapor ejus valde amarus, hanc opinionem confirmat; quæ doctrinæ



illi porro consentanea est, quam CULLENUS celeberrimus de causa proxima febris instituit: hæc doctrina, quanquam hodierni quidam illam ex parte rejiciunt, commercium illud bene demonstrat, quod inter ventriculum, et corporis superficiem, intercedere solet; et hæc suppositio majorem confirmationem accipit abhinc, quod, in multis ægris, quorum vires debilitatæ ac perfractæ videbantur, hoc medicamentum, vigorem ventriculi adeo mirabiliter promovit, et inde, quasi a centro, effectus suos refocillantes versus partes corporis omnigenas direxit; ut remedia illa facile tolerari possent, quæ morbo suo propria videbantur, quod sine hoc adjutori, vix ac ne vix quidem, evenisset.

Exemplum unum ex plurimis hujusmodi hic subjungere liceat.

MARIA SAVAGE, nutrix in Valetudinario Parturientibus dedito, viribus corporis labore et vigilia perfractis; appetitu cibi per menses plures gradatim imminuto, signa omnia illa ostendit, quæ concoctionem pravam plerumque comitantur. Diabetes mellitus, cum nausea perpetua,



eibique fastidio, hanc foeminam nunc invasit; et rebus se sic habentibus, una ex hospitibus in Nosocomio Equitis PATRICII DUNNE fiebat.

Remedia varia, sed nullo eventu felici hauserat; inter alia Cinchonam, sed quamvis quantitate admodum parca, ventriculus illam tolerare nequivit. Grana quinque Sulphatis Quinæ in aquæ cyatho bis in dies medicus porrigi jussit. Hujus ope remedii, (diebus paucis) nausea abiit; appetitus cibi rediit; urina in copia minore fluxit; et saporem mellitum omnino demiserat. Medicamenta varia nunc præscripta fuerunt quæ vim propriam in diabetem possidere videntur, sed frustra; nam molestiæ omnes redierint, si ab Sulphatis Quinæ etiam biduum abstinuisset.

Tempore quo illam proxime vidi, Sulphatis Quinæ per tres hebdomadas sumpserat, nec ulla sequela molesta exinde provenerat. Hæc res argumenta meum secundum elucidat, “utrum sci-  
“ licet sanitas corporis generalis in discrimen  
“ traheretur, si hoc remedium per tempus aliquod,  
“ aut quantitate magna, ægris porrigatur.” De hoc proposito CHOMEL his verbis utitur: “J’ai  
“ employé sur plus de cinquante individus les



“Sulfate de Quinine et de Cinchonine, et je n’ai  
“vue *aucun cas* dans lequel il ait produit quel-  
“que accident.”

Testimonium quod CHOMEL, huic remedio de  
quo agitur, tribuit, ipse experientia compertum  
habui; sed semper recordandum est, levamen ex  
hac fonte his exemplis tantummodo accedere,  
quæ administrationem ejusdem rite indicant.

Præceptum quod CULLENUS de usu Cinchonæ  
in substantia tradidit, iter nostrum in hac re, satis  
luculenter monstrabit. Ecce præceptum: “That  
“the Bark may be employed at any period of in-  
“termittent fever, providing that, at the same  
“time, there be neither a phlogistic diathesis  
“prevailing in the system, nor any considerable  
“nor fixed congestion present in the abdominal  
“viscera.” Nec exempla desunt, quæ clare de-  
monstrant febres intermittentes talia signa inter-  
dum exhibere, qualia Quinæ administrationem  
recte interdiciunt, et sic medicos (hoc præcepto ne-  
glecto) in errorem incidere posse.

Casus infra memoratus (in quo febris intermit-  
tens per Sulphatem Quinæ omnino, vel ex parte  
saltem, typum continuum assumpsit) aliquid  
lucis huic argumento præbebit.



Martis, die 16, JOANNES REILLY, ætat. 27, in Nosocomium Meathense receptus est, sub febre intermittente laborans, quæ per dies septem, illum quotidie vexaverat; aderant etiam sitis urgens, dolor capitis, tussis, et decubitus in latus utrumque difficilis; dolor thoracis attamen nullus; pulsus ad nonaginta et quatuor valide ac plene respondebant. Rebus se sic habentibus,

Die 17. Sanguinis 3xij e brachio mittebantur.

Die 18. Symptomata paulo leviora evenerunt, sed stadia rigoris et sudoris nullam diminutionem experta sunt.

Sumat Sulphatis Quinæ gr. ij. ex aqua ter in die.

Die 19. Hora solita rigores iterum venerunt; sed ad aspectum mitiorem gesserunt, et stadium sudoris haud ullum erat; dolor acutus a sterno ad humerum sinistrum tendit; tussis adhuc levis; pulsus 102, dejectiones binæ.

Repetatur Sulphas Quinæ ut heri, et habeat haustum effervescentem ter in die.

Die 20. Rigor nullus; sudores hora nona P. M. nocte præterita eruperunt, et ad horam



primam matutinam durarunt; noctem inquietam egit, et tussis illum graviter vexavit; dolor vehemens a sterno usque ad humerum sinistrum tendit, præsertim si plena inspiratio fiat; dolor capitis molestus est, et subsultus tendinum adest; pulsus 112, plenus, validus et vibrans; lingua sordida, et sitis magna.

Remedia antiphlogistica nunc adhibita fuerunt, et æger paulatim in sanitatem redivit.

Hic æger quum primum hospes Nosocomii fiebat, intermissionem febris per aliquot horas, quotidie expertus est. Natura ejus intermittente sic plane indicata, sed signa omnia cætera diathesin phlogisticam notabant; venæsectionem igitur subiit, sed quoniam paroxysmi nihil boni exinde hauserunt, Medicus periculum Sulphatis Quinæ facere voluit. Paroxysmus subsequens mitior fuit; sed dolor vehemens thoracem nunc primum occupavit. Remedium iterum porrectum est, et die proximo rigores abierunt, sed signa inflammatoria omnia ita urgebant, ut morbus typum continuum nunc evidenter gesserit. Hic casus solus utpote vidi, malum ex usu Sulphatis Quinæ duxit, et sequelæ quæ inde profluxe-



runt ex ejus *abusu* potius pendere videntur ; nam hoc exemplum his rite pertinet, quibus ut supra dixi, Sulphis Quinæ magis nocere quam prodesse potest.

Dom. LARMINIER, in “Clinique Medicale” anno MDCCCXXIII mentionem fecit, hoc medicamentum affectiones generis nervosi, ex. gr. palpitationem, anxietatem, globum hystericum, et dolores thoracem et abdomen vexantes, sæpius inducere. Nihil hujusmodi in exemplis quinquaginta sub meo oculo apparuit ; et LARMINIER equidem haud ignarus videtur, sequelas tales raro evenire ; nam hæc verba postea addit :  
“ Ces faits encore peu nombreux prouvent seule-  
“ ment que le Sulfate de Quinine, comme tous  
“ les medicamens actifs, present dans ses effets  
“ physiologiques, et therapeutiques, des ano-  
“ malies qui doivent etre attribues a l'idiosyn-  
“ crasie.”

Proposita mea de usu medico Sulphatis Quinæ jam separatim tractavi, et exinde (ut upinor) hæ conclusiones deduci possunt. Imprimis, “ hoc  
“ remedium virtutes febrifugas corticis Cinchonæ,



“ex magna parte, vel etiam ex toto possidere.”

Secundo, “Si nulla signa adsint, quæ usum Cinchonæ contra-indicant, hoc medicamentum in ejus loco sine periculo substitui posse.” Hæ res Sulphatem Quinæ æque ac Cinchonam palmam mereri ostendunt; sed, ut opinor, exempla multæ confirmare tendunt, Quinam præ Cinchona adhibendam esse.

In parte hujus opusculi jam prægressa, exempla multa enumerantur, in quibus dosis unica hujus medicamenti ad paroxysmum depellendum sufficiebat. Quod ex prima dosi Cinchonæ raro evenit: Sed fortasse maxima superioritas, qua Quina præ Cinchona fruitur, ex majore facilitate exhibitionis pendet: CULLENUS, in “Primis Lineis,” lectoribus suasit, Cinchonam effectus suos antifebriles habere edituram esse, nisi in substantia, et in quantitate magna hauriatur: Sed, ut satis cognitum est, hoc consilium sæpe impleri nequit, etiam quum natura mali usum ejus maxime postulat.

Æger præ fastidio Cinchonam vel devorare nolet, vel si illam hauserit, quod intermittentibus sæpissime accidit iterum per os ejiciatur. Quin-



etiam si nausea et vomitus absint, ventriculus hoc remedium tanta quantitate haud concoquere valeat, quanta ad curationem sufficiat, et ita perturbum intestinorum immutatum descendens, diarrhoeam sua irritatione evocet.

Contra, Sulphas Quinæ, viscera quæ corporis nutrimento inserviunt non solum inirritata relinquit, sed vim ventriculi mirabiliter intendit, et functiones hujusce cavi ad justam sanitatem reducit, ut casus *MARIÆ SAVAGE* supra citatus, et multi alii optime probant.

“Le Journal de Physiologie,” mensis Augusti, anno MDCCCXXIII, exemplum hoc propositum corroborans exhibet, et a Dom. DUPRE ita memoratur: “Fievre intermittente tierce, guerrie par la Sulfate de Quinine, chez un individu affecté d’un squirrhe de l’estomac, qui depuis quelques mois paroissoit etre arrivé au degré de suppuration. Le malade rendant frequemment par les vomissemens des matieres comme purulent en assez grand quantité, qui s’etoient opposé à la reussité du traitement par les autres preparations de Quinquina.” In hoc casu, Sulphas Quinæ post dosin primam haud ullam nauseam evocavit, et febris paroxysmos amovit.



Dom. CHOMEL exemplum memoravit, in quo uncia Cinchonæ vicibus quater partitis, et singulis omni trihorio sumptis, vomitum excitavit, sed Sulphas Quinæ statim postea porrectus haud etiam nauseam provocavit: Exemplum quoque notat, ubi, Sulphas Quinæ per dies aliquot ministratus, intestina nihil turbavit, sed quando Cinchona loco ejus successit alvi fluxus statim supervenit.

Casus nullus mihi contigit, ubi nausea levissima ex Quina adfuit, nec diarrhœa, nec constipatio, ut memini ægros illam sumentes vexavit, sed in omnibus exemplis, viscera chylopoietica in statum sanum reduxit. Hoc commodo alterum conjungitur, nam vis ejus medicatrix tanta est, ut quantitas parva effectus optimos præstet, et sic infantibus facile exhibeatur. Sapor ejus porro facile celari potest; nam pondus satis magnum, frustulo panis, aut uva, aut quovis tali vehiculo includatur. Nec saporem adeo ingratham præbet, quin ægri plurimi hoc remedium aqua suspensam promptissime haurient.

Quod ad doses hujus remedii pertinet. In quibusdam exemplis hoc medicamentum co-



piose administratum vidi. Casus unus sub rheumatismo laborans grana quinque Sulphatis Quinæ omni bihorio, usque ad vicem decimam sumpserat, nec exinde ullum aliud grave signum contigit, ac sudor copiosus, et tinnitus aurium, qui medicamento suspenso, statim abierunt. Contra, dosis granarum duarum ter in die repetita ad febrem depellendam valuit.

Galli medici (in febre intermittente) pondus totum ante horam paroxysmi exhibent; dosis a granis sex ad decem variat, et ubi nihil boni affert prima dosis, duplex quantitas vicibus partitis postridie præscribitur. Grana duo aut tria pro dosi in Hibernia plerumque ministrantur, et hæc quantitas ter quaterve de die repetitur.

Prior modus effectus plus manifestos inducit, et, ut opinor, potior est, si paroxysmum quam citissime solvere velimus; sed si latens inflammatio, quodvis organum internum obsideat, tutius erit si iter alterum sequamur, et dosin modicam concedamus. Medicamentum sic exhibitum, virtutes ejus tonicas gradatim exhibet, et systema totum minus excitat, quam si tota copia simul hauriatur.



Paroxysmo cohibito, dosis ad grana quatuor in die redigatur. Et ne malum redeat, medicamentum per bis quinos dies porrigi debet: Ubi febris intermittens violentiam usitatam induerit, spatium brevius, versus mali recursum, vix sufficiet.

Exemplum nunc citabo, in quo, Sulphas Quinæ per dies quatuor exhibitus, reditum paroxysmorum haud cohibere potuit.

NASON BROWN, ætat. 13, die Feb. 17, in Nosocomium Meathense receptus est; per dies duodecim, febris intermittens illum quotidie turbaverat; pulsus celer et parvus; abdomen tumidum.

Die 18. Rigores hora septima P. M. per stadia solita ierunt.

Die 19. Rigores hora eadem ac heri, et violentia augmentata æstuabant.

Die 20. Paroxysmus hora eadem ac pari violentia evenit.

Sumat Sulphat Quinæ gr. ij. ex aqua ter in die.



Die 21. Rigor hora sexta p. m. per semihoram duravit; sudor per totam noctem copiose manabat.

Repetatur Sulphas Quinæ ut heri.

Die 22. Rigor nullus, aut ejus signum; sopor quietus ægrum refecit, et de re nulla queritur.

Continuatur medicamentum.

Die 23. Omnia adhuc in melius vertuntur, et rigor nullus apparuit.

Repetatur ut heri.

Die 24. Æger ex Nosocomio sponte sua discessit. Grana viginti quatuor ex toto hauserat, et post granum decimum paroxysmus nullus rediit.

Die Martis 13. Inquilinus Nosocomii iterum fiebat. Die decimo post discessum, frigori et humori expositus, in rigores rursus relapsus est. Post paucis diebus, paroxysmi, violentia solita, hora nona matutina recurrerunt. Hodie emeticum sumpsit; rigor hora decima a. m. sed levior accessit; caloris stadium vehemens erat.

Die 14. Paroxysmus hora undecima erupit, et stadia omnia tam graviter ac antea æstuabant.



Sulphas Quinæ ter in dies, ut antea repetatur.

Die 15. Medicamentum bis heri, et semel hodie ante tempus paroxysmi expectatum hausserat. Nullum morbi signum hodie evenit.

Repetatur medicamentum.

Die 16. Paroxysmus nullus, functiones naturales sunt.

Remedium usque ad diem mensis vicesimum sextum, hic æger hausit, quo die, medicus illum curatum dimisit, nec febris iterum rediit.

Exempla adhuc plurima de virtutibus hujus remedii adducere possem, sed ut opinor superfluum foret; quoniam CHOMEL, DOUBLE, PETROZ, MAGENDIE, et multi alii celeberrimi, hanc rem ultra dubium jam posuerunt.

Hactenus hoc opusculum hos effectus tractavit, quos Sulphas Quinæ in febribus intermittentibus ostendere solet. Sed nequaquam huic morbo solo ejus virtutes limitantur.

In morbis viscerum, qui concoctioni inserviunt, et qui, affectionibus nervosis, veluti mobilitate, vaporibus, et aliis hujusmodi, sæpe comitantur;



hoc remedium, cum laxativis pro re nata conjunctum, ventriculi, et corporis totius, vires promovere utilissimum invenietur. Hoc modo administratum, in Gallia, versus neuralgiam multum valuit.

Strumosis sub suppuratione diffusa, vel morbo Anglice dicto *White - Swelling* laborantibus, quando vires naturæ sustineri postulant, hoc medicamentum, virtutes ejus tonicas, cum minore systematis totius irritatione, quam ullum aliud remedium præbens, optime adaptatur.

In rheumatismo, Sulphas Quinæ longe et late fuit administratum. In specie acuta doses amplæ frequenter repetitæ sunt, ut actionem rheumaticæ oppositam inducerent. Sed quanquam hic modus administrandi, exitum faustum sæpe habuit; in exemplis aliis, signa febrilia graviora reddidit, nec illud levamen attulit, quod a priori expectaretur. Si hoc remedium in rheumatismo acuto adhibeatur, semita illa ut puto, calcanda est, quam Doctor HAYGARTH de usu Cinchonæ in hoc morbo commendat.

Species est altera rheumatismi tenellos et fœminas juniores sæpius adoriens, cui nomen Sub-



iacuta recte imponatur. Dolores per intervalla recurrunt, et tempore nocturno ægros potissimum infestant, et humeros, genua et haud raro caput ipsum lacerant. Ægros ita affectos languor, debilitas, cibi fastidium, et sensus in epigastrio ingratus occupant; pulsus sæpe celer micat; lingua albida apparet, nec alvus regulariter respondet. Hi casus sæpe pertinaces sunt, nec usu diaphoreticorum semper levantur, sed aliquando graviores reddi videntur.

In his exemplis commercium intimum seu sympathiam inter morbum ipsum, et vias primas, observavi; et quanquam haud affirmo, rheumatismum talem ex statu ventriculi pendere, hoc mihi nihilominus ex usu in aperto est. Viscera concoctioni inservientia ad statum sanum prius reducenda esse, quam effectus optabilis, aut permanens, rheumatismo accedere poterit.

His casibus, grana duo Sulphatis Quinæ ter in die hausta, et per spatium octo vel decem dierum repetita, multum boni afferunt. Equidem rarissime vidi rheumatismum subacutum huic medicamento sic exhibito succumbere recusantem. Notatu dignum est, quod, ægri sub hoc



regimine convalescentes, alteram ejusdem morbi tentationem, non adeo frequenter patiuntur, ac qui per diaphoresin levamen acceperunt. In gangræna quoque virtutes ejus eminentes inventæ sunt. Nam si depletiones justæ inflammationem prius amoverint, vires ægri summum bonum ex ejus usu accipient, et his casibus pariter ac cinchona respondebit.

Ex omnibus igitur quæ de Sulphate Quinæ memoravimus, manifestum est, chemicam hodiernam remedium summi momenti medicinam facientibus suppeditasse; nam virtutes Cinchonæ proprias non solummodo in forma magis concentrata possidet, sed quinetiam, his casibus eximie adaptatur, in quibus, præ debilitate, copiam justam Cinchonæ, ventriculus tolerare nequit.

FINIS.



## DISSERTATIO MEDICA

regimine convalescentis alteram ejusdem morbi

IN AUGUSTALIS

tentationem, non adeo frequentiter patitur, ac

DE

qui per diuturnam levem recuperant.

In quibusdam morbis, quibusdam omnino

HERNIA

invenitur. Nonnulli quidem iustis inflam-

mationibus, quibusque singulis, quibus singulis

ANNO 1780. MONTI

hominum et eiusdem morbi, et his causis, per-

EX AUGUSTALIS REG. SULLIATIS QUINAE

et de omnino respondendum.

D. GEORGI HALLI, M.D. P.

Iste morbus, qui in quibusdam morbis

invenitur, non adeo frequentiter patitur, ac

in quibusdam morbis, quibusdam omnino

invenitur. Nonnulli quidem iustis inflam-

mationibus, quibusque singulis, quibus singulis

hominum et eiusdem morbi, et his causis, per-

EX AUGUSTALIS REG. SULLIATIS QUINAE

et de omnino respondendum.

JOANNES O'DONNELL, M.D.

Edinburg

IN MONTI AUGUSTALIS REG. SULLIATIS QUINAE

EDINBURGI

EXCUBENT P. NEILL

MDCCLXXIV





